UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quibus casibus, ac modis cesset nuntiatio novi operis, ita ut vim & effectum non habeat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-61641

Visual Library

lapilli jactum, in eum locum, ubi opus ſit, verbis ſimul inhibendo opus ulterius, vel Prætorem, aut judicem adeundo, & petendo ab eo, ut opus inhibeat.

§. II.

Quis ſit effectus novi operis nuntiationis.

PRimarius effectus eſt, ut totum id deſtruatur iterum ſumptibus ipſius ædificantis, quod poſt novi operis nuntiationem ædificatum eſt, ſive juſtè, ſive injuſtè ædificaverit, de quo poſtmodum examinatâ causâ patebit: prout etiam ſtatutum eſt *in cap. cum ex injuncto 2. h. t.* ita ut non ſufficiat, ſi permittat tantùm, quod ædificatum fuit, poſt novi operis nuntiationem, demoliri ædificans, ſed ſuis ſumptibus demoliri id debeat, & per exceptionem oppoſitam repelli poſſit priùs, quàm omnia in priſtinum ſtatum reſtituantur, etiamſi probare vellet de jure ſuo, ne cum perturbatione quietis publicæ rixarum detur occaſio.

§. III.

Quibus caſibus, ac modis ceſſet nuntiatio novi operis, ita ut vim & effectum non habeat?

PRimò ceſſat, ſi nuntians remiſerit, vel expreſsè, vel tacitè (morte ſcilicet naturali, & re adhuc adhuc integrâ) ut colligitur *ex cit c. 2. h. t.* Secundò ceſſat, ſi nuntians cautionem receperit à nuntiato, quòd demoliri velit opus, ſi conſtiterit nullum illi jus competere, vel per nuntiatum non ſtet (ſaltem per tres menſes oblatæ talis ſatisdationis) quo minus ſatisdet, quia competentem ſatisfactionem obtulit, quæ tamen acceptata non fuit, ad quam acceptandam non tenetur nuntians, ſi intra tres menſes probare velit, quòd jure prohibeat, prout habetur ex c. *ſignificantibus 3. h. t. & cap. litteras 4. eodem.* Tertiò ceſſat, ſi nuntians nolit jurare coram judice de calumnia, ſi tamen is, cui nuntiatio facta eſt, exigit juramentum tale. Quartò ceſſat, ſi ſit periculum in mora, ita ut dilatio ædificii v. g. grave damnum probabiliter allatura videatur, quia ut dicitur, *L. de pupillo 5. §. præterea ff. h. t.* multò melius eſt omittere novi operis nuntiationem, quàm impedire operis neceſſarii urgentem ædificationem: intelligendo hoc, ſi periculum toti v. g. communitati ex intermiſſo tali ædificio immineat, ut advertit *Gloſſa V. periculum.* Quintò ceſſat, ſi Prætor revocavit nuntiationem permiſſivè. Et ſextò denique ceſſat, ſi manifeſtum ſit, quod injuſtè novum opus prohibeat nuntians.

TI-